

Theologia spiritualis.
Exercitia spiritualia pro Religiosis
Oecumenicis de Guadalupe.

Habemus necessitatem magnam loquendi cum Deo. Istud colloquium est bilaterale, est praesentia viva quae participat in nostra conversatione. Jesus Noster Dominus operatur in nobis in mensura qua Illum audimus. Propterea debo omnia relinquere, omnia quae non sint anima mea et Deus meus. Exempla nostra sint Beatissima Virgo Maria in Nazareth, ubi audiebat et omnia servabat in corde, in meditatione, omnia quae ad Deum referebantur. Etiam sint nostrum exemplum Maria et Martha in Bethania: ibi labor, ibi operositas, sed et contemplatio ad pedes Jesu Domini: ibi sit anima mea cum anima Christi: debo sedere, ut audiens in positione audiens.

Ista exercitia spiritualia sunt visitatio Jesu Domini nostri ad animam nostram, sicut Beatissima Virgo Maria visitavit Elisabeth portans in utero Jesum Infantem. Heic videbo Jesum, personam viventem quae me diligit et me vocat. Deus in unoquoque momento diei mihi sese communicabit, ut me transformet in Seipsum, profunde purificans me.

Frequens tentatio in exercitiis spiritualibus est quod nos nullum speramus fructum ex illis: manebo in solitudine, sicut prius! Sed hoc non est verum: si tempus cum Deo terimus, illud terimus in communicatione cum Deo: ideoque non est tempus perditum! Quia sumus cum Deo: tempus in unione Dei est jam inchoatio Paradisi! Et non est verum quod sumus in eodem gradu et statu post exercitia peracta. Certe non erimus forsitan in altissima mystica, sed tamen conatus et nisus noster etsi sumus miseri, nos elevare possunt aliquantulum. Licitum est nobis credere quod possumus esse perfecti saltem in intentione.

Certissime habebimus plurimos fructus, et unio cum Deo in sancto Templo Suo erit magnus proventus. Audiamus quasi orantes, sicut orantes, anima mea sit recollecta, volo Deum audire, Spiritum Sanctum audire, qui habitat in intimitate mea. Deus loquetur tecum, ego audiam, ero sicut Maria Sanctissima, sicut Maria Bethaniae.

Quid est Theologia Spiritalis?

Theologia spiritalis est sublimior applicatio theologiae, ejusdemque flos et

corona. Redimus ad punctum originale, ad initium: ad Deum revelatum in Sacra Scriptura et in Traditione catholica. Est sapientia, sapida scientia, gaudiosa cognitio Dei. In isto studio et scientia ibimus ad profunda mysteria Dei, ad Ejus verba sapientissima et nutritiva, ut iisdem nutriamur et alios nutriri faciamus. Ibi adest participatio scientiae Dei et visionis Beatorum, ibi datur character et sigillum et vestigium scientiae Dei in nostra anima.

Theologia spiritalis habet ut objectum idem objectum quod beati in Caelo contemplantur. Nobis revelat et nos docet quomodo contactus cum Deo jam in ista valle lacrymarum inchoari debet et potest: hac in vita terrena debemus unionem initiare, perficere et gustare cum Deo.

Heic datur applicatio Theologiae Dogmaticae: non accipimus tantummodo consilia, sed potius rationes et explanationes theologicas, verbi gratia: *recollectio* est necessaria *quia* sum Templum vivum Spiritus Sancti; *mortificatio et sacrificium personale* sunt necessaria *quia* me ducunt ad unionem intimam cum Jesu Christo in Sacrificio Missae et in Sacra Communione Eucharistica; *peccatum vitare* debo ut possim pulchritudinem gratiae contemplari.

Theologia spiritalis dabit nobis cibum solidum, cognitionem profundam gratiae, virtutum infusarum, donorum Spiritus Sancti etc.

Sancta Theresia a Jesu de Avila nobis dicit ut consilium capiamus virorum doctorum ita ut iter clarum et securum habeamus ad perfectionem et sanctitatem: in illis adest prudentia et veritas. Praesertim superiorissae habent necessitatem virorum doctorum ut ab eis consilia capiant, praesertim si non sunt valde doctae, secus in plurimos errores cadent, et errores considerabunt actus sanctitatis.

Dogmatica, Moralis, Spiritalis.

Antiquitus in Ecclesia omnes istae divisiones Theologiae non dabantur. Hodie tamen ad majorem exactitudinem instituuntur. Theologia spiritalis non est solummodo ordinis speculativi (id quod credendum est; id quod est vel non est peccatum), sed habet objectum proprium et specificum, diversum ab illis aliarum partium theologiae: nempe perfectionem actuum humanorum, actuationem plenam programmatis a Jesu Domino Nostro

determinati: *Estote perfecti sicut Pater vester Caelestis perfectus est.*

Adest vero unitas: habemus diversos Magistros et diversas disciplinas tantummodo ad majorem profunditatem adsequendam.

Unitas in vita spiritali.

Dona Spiritus Sancti conformantur ad et sequuntur nostram operositatem in propria sanctificatione personali, et non necessarie sunt aliquid extraordinarium. Sunt normalis et ordinarius fructus inhabitationis Spiritus Sancti in nobis ob gratiam quam in Baptismo recepimus.

Evangelium ab omnibus nobis exigit tantam perfectionem ita ut sine donis Spiritus Sancti illam adsequi impossibile foret: *Si tibi alapam in maxilla dant, praebe illis et aliam; Diligite inimicos vestros; Si oculus tuus te scandalizat, illum abscinde a te; Manete in Me; Spiritus in nobis clamat Abba!; Quis me liberabit ab isto corpore mortali ut unum sim cum Jesu Domino? etc.*

Sanctus Thomas Aquinas nobis dicit quod gratia et gloria sunt ejusdem generis. Gratia non est aliud nisi initium gloriae in nobis. Gloria non est nisi gratia consummata. Sanctus Joannes a Cruce docet nos meditationem tendere ad contemplationem. Sanctus Franciscus de Sales dicit quod omnia exercitia spiritualia tendunt ad et reducuntur ad contemplationem, quae est eorum finis et objectum.

Non dantur duae vitae spiritales: prima ordinaria et secunda extraordinaria, non, sed potius una sola: gratia crescit normaliter et convertitur in activitate characterizata Donis Spiritus Sancti: et haec est proprie substantia contemplationis mysticae. Contemplatio non est gratia extraordinaria. Illud quod est supernaturale substantialiter est gratia et virtutes infusae in quantum sunt participatio in natura et vita intima Dei. Illud quod est supernaturale accidentaliter, seu in modo, sunt phaenomena extraordinaria uti visiones, revelationes, loquutiones, adparitiones, etc.

Methodus sequenda a nobis.

In nostro studio dantur duae methodi: prima est descriptiva, practica, empirica et consistit in consiliis et exemplis principaliter; secunda est deductiva, scientifica, theologica. In

amborum synthesis et unione habebimus scientiam et experientiam.

Fontes Theologiae Spiritalis.

a) Primus fons est Sacra Scriptura: lingua materna christifidelium: praegustatio vitae aeternae. Ut intelligere possimus sacram Scripturam debemus orare. Eam considerare oportet ut fontem perennem vitae spiritalis. Est lingua spiritalis. Tantummodo intellectus separatus a rebus terrenis, spiritualizatus potest Verbum Dei plene intellegere. Auctor Sacrae Scripturae est Spiritus Sanctus: Illumque invocare debemus ut nobis donet donum intellectus ut penetrare in Verbum Dei possimus et donum sapientiae ut valeamus gustare illud. Necesse est ut simus humiles: Spiritus Sanctus reprimet superbiam et nos elevat ad planum Dei.

b) Magisterium Ecclesiae est fons Theologiae Spiritalis: quum est sollemne habemus definitiones dogmaticas Conciliorum et Summorum Pontificum; quum est ordinarium habemus Encyclicas et discursus Summorum Pontificum. Videamus Concilia omnia et Jus Canonicum.

c) Doctrina Patrum Ecclesiae, Doctorum et Theologorum. Praesertim illorum qui canonizati sunt: Sanctus Thomas Aquinas, Sanctus Joannes a Cruce, Sanctus Franciscus Salesius, Sancta Theresia de Avila: isti quattuor erunt nostri duces, non alii nisi exceptionaliter, nam alii sunt potius practici quam speculativi v.g. Sanctus Ignatius de Loyola, etc. S. Thomas: *cor per orationem est in contactu Dei, et intellectus ita gaudet intuitione luminosiore secundum mensuram ardoris cordis.* S. Joannes a Cruce: *codex animae fidelis, facilis comprehensione etiam pro non-christianis;* S. Theresa de Avila: *quo magis mystice homo Deo unitur, ita ferventior est amor erga proximum et cura pro animarum salute.* S. Franciscus Salesius: *alacritas, gaudium, laetitia: populus christifidelis non debet considerare sanctitatem vitae ut beneficium singulare paucis privilegiatis solummodo concessum, sed illam debet videre uti haereditatem omnium et officium generale nostrum.*

d) Psychologia, paedagogia Jesu Christi Domini Nostri in Evangelio: ars tractandi animas. Discretio docetur in scriptis Sanctorum, praesertim in litteris Sanctae Theresiae de Avila et Sancti Francisci Salesii: cognitio nostri, unio

intima et personalis cum Jesu Christo: spiritus amoris, bonitatis, dulcedinis, mansuetudinis.

Dignitas Theologiae Spiritalis.

Scientia nostra nobis loquitur de Deo, qui est incomprehensibilis. Est scientia veri amoris, me a meipso trahit, ab egotistica actitudine mea, ex mea parvitate portat versus Jesum Deum amatum meum.

Necessitas.

Religiosae Oecumenicae de Guadalupe non possunt no cognoscere istam scientiam quae nunquam separari potest ab oratione et a meditatione et a studio. Non datur in mundo alia vis quae possit vincere amorem mundi nisi Alius Amor, Major Amor, Amor Dei. Ut anima mea sit plena amoris ego debeo studere adsidue et perseveranter Auctores Clasicos vitae spiritalis.

Aliud est apostolatum exercere et aliud verum apostolatum exercere: quum doces alios, quum illos reprehendes, quum aliis consolationem praebes vel consilium das, quum cibum esurienti donas vel infirmum visitas, tunc theologiam tuam spiritalem exerves et in proxim deducis.

Fac ut cotidie habeas horam integrum saltem studii – meditationis – orationis. Esto perseverans et constans et videbis quot fructus: tu eris plena amoris erga Deum et proximum!

Libri quos habere debes.

Libri optimi debent esse, nam erut amici tui per totam vitam. In domo tua debet adesse vera bibliotheca catholica religionis et formationis religiosae: (a) libri, commentaria et meditationes de Vita Christi et super Evangelia; (b) de Sancto Paulo: lectio continua et constans; (c) opera et tractatus de vita et theologia spiritali; (d) tractatus Auctorum Classicorum, incipiendo a Sanctis Canonizatis: S. Franciscus Salesius, S. Joannes a Cruce, S. Theresia de Avila, Imitatio Christi, S. Theresia de Puer Jesu, S. Elizabeth de Trinitate, etc. (e) Patres Ecclesiae Orientalis, Latinae et Graecae.

Terminologia in Theologia spiritali.

In Theologia Dogmatica datur major exactitudo et praecisio terminorum,

sed datur aliqua frigiditas et siccitas (sumus in investigatione, in cognitione); in nostro studio dantur hyperboles et figurae, nam est lingua amoris, experimentationis, fruitionis et queritur efficacia et efficacitas et efficientia: ut studium rerum divinarum transformet vitam nostram, ut crescat amor noster versus Deum et versus proximum. Tamen necessarium est ut bene interpretetur terminos et ut vitemus omnia extrema, nam quod extreum est et extra aequilibrium nunquam catholicum fuit.

Vita nostra trinitaria.

Ex Deo uno et trino exiit fluvius aquae vivae quae versatur in Sancta Humanitate Iesu Christi Domini Nostri, qui est Caput generis humani, ibique in Eo tamquam in abysso altissimo et profundissimo colliguntur aquae et supereffluentex Ejus abundantia per Spiritum Sanctum diffunduntur in omnes homines redemptos ut participes fiamus divinae Lucis et Glorie et ut postea in Christum transformati redeamus in sinum Dei uni et trini unde omnia procedunt. Hic est circulus vitae trinitariae in nobis.

Natura gratiae habitualis.

In Sacra Scriptura dantur variae figurae gratiae: *aqua viva* quae lavat, tollit sitim, restaurat, vivificat, foecundat; *oleum* quod penetrat per poros usque ad nostram intimitatem, aromatizat, sanat plagas ut balsamum; *lux* quae nos dicit ad Deum, etc. In vita Sanctorum videmus gratiam in praxi cotidiana, in vita, in conscientia hominum: et nobis dat enthusiasmum.

Gratia est *praeludium et inchoatio visionis intuitivae Dei.* Gratia et gloria sunt unius ejusdemque realitatis: gratia non est nisi initium gloriae in nobis, nam charitas, amor Dei et proximi est vera amicitia hominis cum Deo, amicitia quae fundatur in communicationis felicitatis aeternae. Gratia est ordinatio et impulsatio versus vitam aeternam: *qui credit in Me, jam habet vitam aeternam!*

Quid est Gloria? Sumus filii Dei, sed nondum manifestatur illud quod erimus, quum apparebit Christus et erimus Ei similes, quia videbimus Eum facie ad faciem sicuti vere Ille est; Eum cognoscemus sicuti cogniti sumus ab Illo.

Intellectus noster in visione beatifica, in visione intuitiva, elevabitur ad tantam altitudinem per operam Spiritus Sancti, quod erimus capaces cognoscendi

et amandi Deum in eodem modo (etsi non cum eadem penetratione) quo Deus Ipse Sese cognoscit et amat. Ibi erit intimitas et gaudium: intellectus noster et voluntas erunt Dei, et amor noster erit sicut amor Dei. Visio divina nos divinizat et nobis dat gaudium inenarrabile.

Gratia est participatio naturae divinae, participatio in vita intima Dei, in natura divina praecise qua divina: participabimus in eo quod facit quod Deus sit Deus. Gratia est in ordine essendi, non est quid superficiale quasi notula juridica nobis conferens jus quoddam accipiendi aliquam rem, vel quasi benevolentia divina constans erga nos.